



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUANDOQUIDEM CLERUS**. M. V. A MERCEDE, ATQUE
S. IOANNES BAPTISTA CONFIRMATURILLA
PATRONA PRINCIPALIS, HIC SECUNDARIUS DIOECESIS CHASCOMUSENSIS Ad perpetuane rei memoriam. –
Quandoquidem clerus atque fideles dioecesis Chascomusensis, ob antiquam sanctamque religionem qua tenentur erga
beatissimam Christi Matrem sub titulo a Mercede atque S. Ioannem Baptistam, Praecursorem Domini, hos ambos
Patronos suae dioecesis elegerunt, Principalem quidem illam, hunc Secundarium; atque Venerabilis Frater Rodolfus
Bufano Episcopus eiusdem Sedis, factam electionem adprobans, cleri populique nomine, praeterquam suo, ab hac beati
Petri Sede confirmationem actae electionis petierit, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque
Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30; Nos, qui meritum Beatae Mariae Virginis Sanctorumque
honorem augeri semper optavimus, aequo sane animo admotae expostulations concedimus. Qua re, iis probatis, quae
Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re statuerit factis olim a Nobis facultatibus, placet
Beatissimam Virginem Mariam a Mercede Patronam Principalem esse et haberi dioecesis Chascomusensis, Sanctum
vero Ioannem Baptistam Patronum Secundarium, cum omnibus iuribus ac privilegiis liturgicis iuxta rubricas
consequentibus; quod nempe eo consilio gerimus, ut pietas erga caelestem Matrem, virtutum omnium exemplar, et S.
Ioannem Baptistam, eximium Christi Praeconem, et gliscat, ut fiamma, et moveat ad imitationem. Contrariis nihil
obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXII,*
Pontificatus Nostri quarto. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a pubblicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria
Editrice Vaticana